

tiam luculenter Serry ostendit confirmavitque. *Ibidem*. Argumentum efficacissimum profert in eisdem sententiæ confirmationem. XXVII. Conqueruntur 3. Quod negaverit, Magos Christi adoratores, Reges fuisse, ut vulgo creditur. XXIX. Perperam tamen, cum id egerit Serry tum auctoritate Divi Matthæi, tum silentio Patrum omnium, qui usque ad decimum seculum scripserunt. XXX. Conqueruntur 4. Quod docuerit, Simeonem, qui Christum infantem in ulnas suas excepit, non fuisse Sacerdotem, sed virum *Laicum*. XXXII. At id evidentiissime eruitur ex *Lucæ* capite secundo. XXXIII. Conqueruntur 5. Quod docuerit, Sanctum *Lucam* Evangelistam non fuisse *Pictorem*, sed tantum *Medicum*. XXXIV. Id autem rationibus adeo evidentibus evicit Serry, ut nullas responsioni sit locus. XXXV. Conqueruntur 6. Quod asseruerit, inter mulieres, quæ Christum ad *Calvarie* locum comitatz sunt, nullam fuisse nomine *Veronicam*. XXXVI. Sed sententia Serry est vera eruditorum omnium sententia. XXXVII. Eaque confirmatur auctoritate Summorum Pontificum Nicolai IV. Clementis VI. & Gregorii XIII. *Ibidem*. Necnon clarissimi Muratorii. XXXVIII. Conqueruntur 7. Quod negaverit, Militem, qui lancea latus Christi aperuit, nomine fuisse *Longinum*. XXXIX. Item, quod cum antea cæcus esset, aqua & sanguine ex Christi latere erumpente,

& in oculos saliente, visum receperit. *Ibidem*. Utrumque falsum est. XL. Conqueruntur 8. Quod negaverit, Christum a mortuis excitatum statim, & primum præ aliis omnibus *Mariæ Virginæ* apparuisse. XLI. At sententiam suam probat auctoritate Sacrarum Scripturarum, Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum. XLII. Sylli mordacitas & acrimonia, qua identidem Baroniam, aliosque Ecclesiasticos Scriptores impugnavit irritique, tantummodo in causa fuisse Eminentissimis Cardinalibus, cur ad sui libri proscriptiorem processerint. XLIII. Simeon, qui Christum infantem in ulnas suas excepit, non fuit Sacerdos, sed vir *Laicus*. XXXIII.

T

Tabella celebres Christi, ejusque Matris, quæ Divi *Lucæ* nomine circumferuntur, non ab eodem fuere depictæ, sed a pio quodam quinti seculi Heremita, cui *Lucas* nomen erat. XXXIV.

V

Veronica. Hoc nomen originative græcum, non hebraicum, tributum fuit Christi faciei sudario impressæ, non mulieri sudarium præbenti, idemque Christi imagine insignitum recipienti. XXXVI.

FINIS INDICIS RERUM.

HISTORIA FAMILIÆ SACRÆ

EX ANTIQUIS MONUMENTIS

COLLECTA

AB

ANTONIO SANDINO

EJUSQUE POSTUMIS CURIS

Retractator, & auctior.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS.
COMITI
PEREGRINO FERRO
CANONICO THEOLOGO PATAVINO

ANTONIUS SANDINUS.



I quando Veteres viris summis Libros suos nuncuparunt, tum demum hoc factum est, cum argumentum Libri personæ tali conveniret. (1) Cui autem viro Historia Familiae Sacrae, quæ ex Sacris Litteris præsertim depromitur, magis convenire, aptiusque commendari potest, quam Tibi in Sacris Litteris versatissimo, qui eas pro suggestu in Cathedrali Ecclesia tam erudite, tantaque cum laude & admiratione omnium interpretaris? Ego quidem certe divino quodam consilio factum existimo, ut cum primum ederem libellum hunc, nemini dicatum vellem: quod jam tum præfagebat animus, fore aliquando, ut studiorum meorum aptum aestimatorem & judicem invenirem. Neque hoc ad gratiam dico. Non enim cujusquam ego dignitatem solum atque amplitudinem spectandam puto, sed professionem in primis, mentis acumen, rectumque & exquisitum de re, quæ in manibus est, iudicium, quo Tu natura, studio, exercitatione plurimum vales. Neque enim is es, qui ingenii, quod Tibi benigna parens natura liberalissime largita est, confidentia fretus, studium, exercitationemque defugas: immo vero illud velut agrum natura sua uberem feracemque excolis labore assiduo, ut Tibi majore cum fenore fructus reddat. Quare non solum id temporis, quod Tibi ex Ecclesiastico tuo quotidiano munere superest, in eruditionem parandam confers, sed etiam somno identidem & honestis animi relaxationibus horas furripis, quas honestius pariter & utilius in studia impendas. Testis illa tua Bibliotheca non tam multis, quam optimis libris instructa, quam Tibi ipse adornasti, inque dies magis magisque adornas non ad pompam, sed ad lectionem, non in spectaculum, sed in studium, in qua quidem comparanda illud etiam spectasti, ut Tui unius impensa foret, usus multorum. Huc accedit, quod hoc meum erga Te officium valde probavit EMINENTISSIMUS PRINCEPS CAROLUS CARDINALIS REZZONICUS Episcopus noster, quem cum appello, Episcopum appello probatissimum, & cum antiquis comparandum, cui Patavina *Cathedra* a BENEDICTO XIV. acerrimi iudicii Pontifice oblata *oneris est, non honoris; operis, non nominis; virtutum denique, non divitiarum.* (1) Neque dubitavi, quin probaret. Novi enim simul ejus in Te voluntatem, simul de Tua virtute opinionem: cum Te idoneum dignumque esse iudicaret, qui sibi in obeunda Dicecesi, hoc est in re gravissima præsto esses, Teque gloriosi laboris & Apostolicæ diligentiae suæ testem ac socium esse voluerit. Probabis igitur etiam Tu, qui Te fingis quotidie ad exemplum sapientissimi Episcopi, & hoc exiguum obsequii in Te mei pignus æquo libentique animo accipies. Vale diu, meumque erga Te studium atque observantiam hac mea qualicumque significatione majorem puta.

Serry Tom. III.

P p AD

(1) Franciscus Baconus de Verulamio lib. 1. de Augmentis scientiarum pag. 28. edit. Amstelædam 1694.

(1) S. Bernardus epist. 428. ad Lucanum Episcopum §. 1. pag. 280.

Tillemont Le Nain *Sebastien de*. Memoires pour servir a l'Histoire Ecclesiastique des six premiers siecles. Paris 1701. in 4.
 Tollatus *Alfonfus* Abulensis E. Opera in S. Scripturam. Venetiis 1615. in fol.
 Turonensis *Gregorius S.* Opera studio Theodorici Rurnart. Lutetia 1699. in fol.

Venantius *Fortunatus*. Opera. Exst. in Bibliotheca Patrum Lugdunensi tom. 10. pag. 520.
 Vossius *Gerardus* Joannes. Opera. Amsteladami 1695. in fol.
 Walafridus *Strabo*. De rebus Ecclesiasticis Exst. tom. 15. Bibl. Patrum pag. 181.

Z

V *Avallor Franciscus*. Opera omnia. Amsteladami 1709. in fol.

Z *Onaras Joannes*. Annales GL. Venetiis 1729. in fol.

DE CHRISTO DOMINO

Humani Generis Salvatoris.

- Cap. I. DE Conceptione & Nativitate Christi.
 Cap. II. De Circumcisione Christi.
 Cap. III. De Magis, qui Bethleemum ad Christum adorandum se contulerunt.
 Cap. IV. De Christi Praesentatione in Templo, ejusque fuga in Aegyptum.
 Cap. V. De infantibus pro Christo ab Herode interfectis.
 Cap. VI. De ratione & instituto vite Christi usque ad annum etatis ejus trigessimum.
 Cap. VII. De Baptismo Christi.
 Cap. VIII. De jejunio & tentatione Christi.
 Cap. IX. De ratione vultus, & vestitus Christi post baptismum.
 Cap. X. De Miraculis Christi.
 Cap. XI. De Praedicatione Christi.
 Cap. XII. De Paschatis a Christo celebratis, & Eucharistia ab ipso instituta.
 Cap. XIII. De Passione, Morte, & Sepultura Christi.
 Cap. XIV. De Christi tortoribus, & latronibus crucifixis cum eo.
 Cap. XV. De instrumentis passionis ac mortis Christi.
 Cap. XVI. De Christi resurrectione, & ascensu ejus in Caelum.
 Cap. XVII. De forma, & statura Corporis Christi.

- Cap. XVIII. De statua Christo posita in Urbe Paeneade ab Hemorrhoiisa.
 Cap. XIX. De imaginibus Christi non manu factis.
 Cap. XX. De scriptis, & dictis Christi.
 Cap. XXI. De Scripioribus profanis, qui de Christo meminerunt.

DE MARIA VIRGINE

Christi Matre.

- Cap. I. DE genere Marie Virginis.
 Cap. II. De Conceptione, & Nativitate Marie Virginis.
 Cap. III. De Marie Virginis Praesentatione in Templo, ejusque Desponsatione cum S. Joseph.
 Cap. IV. De Annuntiatione, & Visitatione B. Marie Virginis.
 Cap. V. De Partu, & Purificatione Marie Virginis.
 Cap. VI. De Maria Virgine a Purificatione usque ad mortem.
 Cap. VII. De morte, & Assumptione Marie Virginis.
 Cap. VIII. De statura, forma, & scriptis B. Virginis.

DE SANCTO JOSEPH

Marie Virginis Sponso, Christi Patre.

DE

CHRISTO DOMINO
HUMANI GENERIS
SALVATORE.

1. Quid intelligis nomine Christi?

R. Hristus nomen est Dei & hominis, unius scilicet Personae, in qua divina & humana natura conjuncta est. (1) Natus est, vixitque in Judaea excellens omni genere virtutis, & miraculorum gloria potens, utque a peccati servitute redimeret humanum genus, Judaeam provinciam administrante Pilato, cruci affixus mortem subiit. Die tertio rediit ad vitam, & quadragesimo ascendit ad Caelos.

2. Cujus filius est?

R. Ut Deus ex Deo Patre ante omnium saeculorum aetates genitus est: ut homo natus in tempore ex matre Maria Virgine. (2) Divinam generationem, quoniam ratione percipere atque perfecte intelligere nullo prorsus modo possumus, constanter credere, & summa animi pietate colere debemus: humanum vero ortum & cognoscere possumus, & sacram Scripturam sequentes decem explicare.

CAP. I.

De Conceptione, & Nativitate Christi.

1. Quo modo conceptus est?

R. Prorsus hoc modo. Angelus Gabriel (Luc. 1. 26. 27. 33.) in Urbem Nazareth a Deo missus est ad Mariam Virginem regio Davidis

genere natam, & Josepho viro justissimo, ex regia pariter Davidis stirpe genito, desponsatam. Simul ac Maria verbis Angeli spondentis nati-turum ei filium sine ullo actu viri assentientis dixit; *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*, statim sanctissimum Christi corpus ex purissimo ejus sanguine Spiritus Sancti virtute formatum est in virginali utero, eique anima rationis compos conjuncta, ita ut eadem persona Deus permanens, quod erat ab aeternitate, homo fieret, quod ante non erat; & Virgo integerrima vere ac proprie mater Dei & hominis diceretur, quod eodem momento temporis Deum & hominem concepisset. (3)

2. Quo die conceptus est?

R. Die quinto & vicesimo Martii. (Baronius in apparatu §. 121.) S. Augustinus lib. 4. de Trinitate cap. 5. *Sicut a majoribus traditum suscipiens Ecclesiae custodit auctoritas, VIII. Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus*. Eodem die conceptum Dominum credi, asserit etiam in libro de diversis quaestionibus octoginta tribus quaest. 56. Eodemque die ejus rei memoriam celebrari a Catholica & Apostolica Dei Ecclesia ex sanctorum doctorum traditione scribit Auctor Chronici Paschalis seu Alexandrini, qui ineunte saeculo Christi septimo vixit. (4)

3. Quo in loco conceptus est?

R. Nazarethi sive in domo Mariae sive in domo Josephi: nam in utrumque auctores sunt. (Bar.)

(1) S. Augustinus in Joan. tract. 7. §. 13. *Messias hebraice, Christus graece est, latine unctus. Ab unctio enim dicitur Christus.*

Idem tract. 12. §. 8. *Due natiuitates Christi intelliguntur, una divina, altera humana; una per quam efficeremur, altera per quam resisteremur: amba mirabiles: illa sine matre, ista sine patre.*

Et in Enchirid. cap. 35. §. 10. *Christus Jesus Dei filius, est & Deus & homo. Deus ante omnia saecula, homo in nostro saeculo. Deus, quia Dei Verbum, Deus enim erat Verbum: homo autem, quia in unitatem personae accessit Verbo anima rationalis & caro. Quocirca in quantum Deus est, ipse & Pater unum sunt: in quantum autem homo est, Pater major est illo. Cum enim esset unicus Dei filius non gratia, sed natura, ut esset etiam plenus gratia, factus est & hominis filius: idemque ipse utrumque ex utroque unus Christus.*

Et alius apud eundem Augustinum de Symbolo serm. 4. ad Catechumenos cap. 4. §. 4. *Natiuitatem illam primam, qua de Patre natus est sine aliqua matre, quis enarrabit? De hac tamen secunda mira & ineffabili dicamus aliquid, quod factum est pro nobis, ut Verbum caro fieret, & habitaret in nobis. Quis enim non expare-scat, cum audit Deum natum? Audis nascentem, vide in ipso ortu miracula facientem. Aluis tumescit virginis, claustrum pudoris permanet: impletur uterus matris sine ullo complexu patris: sentit prolem, que ignorabat conjugem. Angelus ad virginem loquitur, a virgine cor preparatur, Christus fide concipitur. Miraris haec? Adhuc mirare. Partu mater & virgo, facta, & intacta: nascitur filius sine homine patre, qui fecit & ipsam matrem. Factor omnium fit inter omnia: portatur manibus matris rector totius orbis: lambit ubera regens sidera: tacet, & Verbum est. Necdum per linguam se demonstrabat, quis esset, & uniuersa creatura suum natum iudicat Creatorem. Angeli pastoribus annuntiant, stella Magos inuitat: rusticitas pastorum admonitionem exigit Angelorum, curiositas Magorum instructa est lingua Caelorum.*

(2) Lactantius lib. 4. Divin. Institut. cap. 13. *In prima natiuitate spiritali unctus fuit, quia sine officio matris a solo Deo Patre generatus est. In secunda vero carnali unctus fuit, quoniam sine Patris officio, virginali utero procreatus est; ut mediam inter Deum & hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem, imbecillamque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere.*

S. Augustinus ser. 184. cap. 2. §. 3. *Natus est Christus & de patre & de matre, & sine patre & sine matre: de patre Deus, de matre homo; sine matre Deus, sine patre homo. Generationem ergo ejus quis enarrabit? Sicut illam sine tempore, sive istam sine semine, illam sine initio, istam sine exemplo.*

(3) Hic si ratio quaeritur, non erit mirabile: si exemplum poscitur, non erit singularare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis. S. Augustinus epist. 137. extremo cap. 2.

(4) Pagina 159. editionis Venetae. Et pag. 160. *Quo die creationis mundi secundo caelos condidit Christus Deus noster, eodem carnem humanamque naturam perfecte induisse reperitur.*